



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LXXVI. De eligendo per singulos menses sancto Tutelari contra
pestem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

C A P. LXXVI.

*De eligendo per singulos menses sancto Tutelari
contra pestem.*

Vocasi est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sancto-
rum conuertere, monet nos sanctus Propheta Iob. Iob. 5.
& habemus præuia Sanctorum quàm plurima hæc
in re exempla, eorum inquam qui sibi adhuc in terra exi-
stentes, è cælo particulares patronos delegerunt, vt non
recens aut nouitium institutum videatur quod ab incuna-
bulis Ecclesiæ apud Sanctos Patres in vsu fuit. ita S. Basilius
Episcopus elegit sibi 4. Martyres milites Cappadoces, qui
post vincula & carceres teterrimos, post cæsas lapidibus
facies in rigens stagnum missi sunt, vbi gelu constricta eo-
rum corpora disrumpebantur, ac demum crurifragio mar-
tyrium consummarunt. S. Chrysostomus elegit sibi B. Pau-
lum Apostolum cuius effigiem in cubiculo suo semper ha-
bebat. nempe Ecclesiastes Ecclesiasten elegit cuius inter-
uentu & cœlesti ope adiuuaretur. ita S. Augustinus mag-
num vas eloquentiæ, S. Stephanum sibi in patronum assci-
uit, qui Iudæis acerrimè concionatus fuit Actorum 7. cu-
ius etiam præclara per Africam gesta, digno stilo conscri-
psit. Gregorius Magnus S. Andream sibi adoptauit qui tri-
duo suspensus in cruce docebat populum, in cuius etiam
honorem celebre Romæ ad cliuum Scauri extruxit mona-
sterium, è quo S. Augustinus Anglorum Apostolus cum
præclaris illis suis socijs olim prodijt, vbi & ipse Gregorius
Cœnobicam exercuit. S. Elisabetha Hungarorum regis
filia, vt ad propiora & nostro instituto deseruientia venia-

Rom.
Mart.
9. Mart.

A a a

mus,

Vita M. S.
quam ci-
tat Sedu-
lius in ca.
avite eius

mus, singulis mensibus eligebat sibi patronum aliquem e Sanctorum cœtu, à quo in omnibus suis actionibus dirigeretur, in necessariis adiuvaretur, qui instar Raphaelis comitem viæ spiritualis se præberet, preces & orationes eius Deo offerret, in cunctis denique Tutelarem se eidem exhiberet: cumque miro affectu in S. Ioannem Euangelistam ferretur, precibus Deum enixè rogabat, vt diuina sua providentia ita sortes temperaret (nam per sortes candelarum patronus ille eligi consueuerat) vt is sibi obtingeret quem maximè desiderabat, nempe S. Ioannes Euangelista ob priuilegium virginitatis & amoris præcipui à Domino plus dilectus. & semel iterumque ac tertio idem forte illi obtrigit. Ex quibus patet antiquissimum esse morem huius electionis, & quidem per sortes vt patet ex vita S. Elisabet hæ. quorum vestigijs insistentes Viri spirituales & bene disciplinata Religiosorum familiæ in cuiusque mensis exordio Sanctum aliquem ex his quorum festa eodem mense Ecclesia concelebrat, in patronum, aduocatum & directorem suum eligunt, aut forte quadam obueniente, quasi cœlitus datum accipiunt. Pari modo tempore grassantis contagionis saluberrimum erit vnum e supradictis sacris Tutelaribus (quos in fine huius operis per modum diarij suis festis diebus vt ab Ecclesia celebrantur, per singulos menses distribuam) menstrua electione contra pestem sibi adsciscere, vt eius meritis & intercessione illo mense à contagione præserueris.

Quid verò faciendum sit vt sancti illius quem in patronum deliges, tutamen & protectionem obtineas, non ex me inuentis, sed fere in simili iam antè à R. P. Iacobo Alvarez de Paz in spiritualibus versatissimo, conscriptis, accommodatitè suggeram.

Primò circa initium mensis eo die quo sancti inter tra-

ces

res distribuendi sunt (aut ipse tibi aliquem es selectu-
rus) à Domino humiliter postulabis vt Sanctus ille tibi
obtingat ob cuius intercessionem vult salutis tuæ
profectum augere, & suas tibi miserationes contra
imminens periculum elargiri. & ille qui salutem tuam
impensè desiderat, dabit tibi pœdagogum sapien-
tissimum, adiutorem fidelissimum, cuius ope de om-
nibus docearis, & à contagione grassante eius patroci-
nio protegaris. neque enim soli Angeli sunt admini-
stratorij spiritus in ministerium missi salutis & vitæ quæ
nunc est & futuræ, sed & sanctæ illæ animæ quæ eam-
dem nobiscum tenuerunt quondam in viuis societatem
carnis & communionem spiritus.

2. Sanctum tibi ad tutelam designatum deuotè, reue-
renter & cum debita gratiarum actione suscipies, non
aliter ac si Dominus ipse, cuius prouidentia maiora
& minora gubernantur, illum tibi in patronum desig-
nasset. Et cum primùm per tempus licuerit, te in Ec-
clesiam vel cellam vel alium locum quietum recipies,
ibi quæ sancto illi patrono te præsentem facies, tuas
illi & communitatis in qua degis necessitates expones
& illi te deuotè commendabis. & sicut Iacob luctaba-
tur cum Angelo quousque ab eo benedictionem extor-
sit, ita & tu luctare cum illo tuo protectore, non bra-
chijs sed precibus & orationum instantia, vt hanc benedi-
ctionem consequaris, quod ipse te & tua omnia sub tegmi-
ne suæ protectionis accipiat.

3. Quotidiè semel aut bis Aduocatum hunc tuum
exorabis vt suâ protectione semper tibi assistat, à malo te
præseruet, apud Deum pro te intercedat, ne contagiosa
lues te vel familiam tuam vel amicos aut cognatos, si eos
velis adiungere, inuadat. Imitare sanctum Dauidem, in-
quit, & dic; *Leuani oculos meos in montes vnde veniet auxi-*

Iac. de Pas
l. 4. c. 2.
de vita cele.
instit.

Gen. 28

Psal. 120.

Amb.
in lib. de
viduis, c. 8.

lium mihi, montes isti, præcelsi, & æterni sancti Dei sunt. In hos montes oculos mentis intendamus, vt ab eis nobis adiutorium venire precemur & defensionem in afflictione nostra. Rogabis insuper vt desideria & preces tuas Domino repræsentet. ad quod propositum optimè dixit S. Ambrosius: Aegri enim nisi ad eos aliorum precibus medicus fuerit inuitatus, pro se rogare non possunt. infirma est caro, mens ægra est & peccatorum vinculis impedita. ad medici illius sedem debilem non potest explicare vestigium. Obsecrandi sunt Angeli pro nobis qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocini um vindicare. possunt pro peccatis rogare nostris qui proprio sanguine etiam illi quæ habuerunt, peccata, lauerunt. Isti enim sunt Dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ actuumque nostrorum. non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum vincerent, cognouerunt. hæc ille. Enitendum est itaque nobis quæcumque vel animæ vel corpori necessaria sunt, ab eo petere & impetrare. sciamus illum esse pro eo mente nostrum benignissimum prouisorem cui curæ est à malis nos protegere & in bonis promouere, atque in omnibus nobis necessarijs ad illum tamquam ad præsentissimum remedium, accurramus.

Præter hunc quotidianum & frequentem recursum quo à protectore tuo opem expolis, alia præstabis in illius honorem deuotionis obsequia. nam & aliqua quæ corpus doment & voluntatem frangant singulis diebus aut saltem frequenter pro eius honore suscipienda sunt. Dies festus illius aut ieiunio aut peculiari abstinentiâ præueniendus & confessionis ac communionis susceptione, si id fieri possit: sin minus, horum desiderio & singulari pietate celebrandus. Vita eius legenda est & aliquid in memoria

conden.

condendum quod ad illius imitationem trahatur. Hoc autem est sancti protectoris obsequium præcipuum, si illum imiteris, & non solum precibus, sed vitâ & conuersatione sequaris. pulcrè namque & verè S. Bernardus: Vt impetres orationis eius suffragium, non deseras eius conuersationis exemplum. & Apostolus Paulus: *Imitatores mei estote sicut ego Christi.* vnde Ambrosius supra, viduam erudiens, ait: Et tu habes proximos qui Deo pro te supplicent. habes Apostolos proximos, habes Martyres proximos, si ipsa martyribus deuotionis societate, misericordiæ quoque mulieribus appropinques. proximus est enim qui misericordiam facit. fac tu misericordiam, & eris Petro proxima, non sanguinis necessitudo, sed virtutis cognatio facit proximos, quia non in carne ambulamus, sed in spiritu. ama ergo propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, vt pro te rogent. hactenus fere ista Iacobus Alvarez. monet etiam alius, omnium patronorū indiculum facere vt in hora mortis propitios eos habeas, & quos inuoces, amicos. Nec inutile erit præter duodecim Sanctos quos pro singulis mensibus anni patronos eligimus, vnum quoque pro toto anni decursu, circa illius initium designare, cui eodem modo proportione seruata obsequendum est & eius auxilium implorandum. In tantum autē supradicta S. Elifabetha Lantgrauia Thuringiæ patronum suum menstruum honorabat, vt nemini quidquam denegaret quod ob eius meritum vel nomen postularet.

1. Cor. 4

1. de viduis

Vla vita
1. ca. 17

Aaa

CAP.